

archiepiscoporum qui aderunt et interim mittatur^a pro processione^b archiepiscopii, ut veniat sicut subter adnexum est, et cantent ps.^c donec veniat: Quam amabilia, ps. Benedixisti domine, ps. Inclina deus, ps. Credidi propter, ps. Ad te levavi, ps. De profundis, ps. Memento domine. Preces Kyrie leyson. Christe leyson. Kyrie leyson. Pater noster. Et ne nos. Vers.^d Domine non secundum peccata nostra facias. Resp.^e Neque. Vers. Esto nobis deus. Resp. A facie inim. Vers. Exurge domine ad iudicium. Resp. Et libera. Vers. Domine salvum fac. Resp. Et exaudi. Vers. Domine exaudi orationes. [Resp.] Et clamor. Dominus vobiscum. Dicat episcopus oracionem: Acciones nostras quesumus Domine aspirando preveni.

Post hec veniat processio ab ecclesia cum sancta cruce, cum diademate et sceptro et regno hoc ordine, ut ferentes crucem sanctam precedant eos, qui ferunt regalia insignia, scilicet diadema, sceptrum et regnum. Et qui fert diadema, eat post crucem, a dextris cuius erit ferens regnum, a sinistris qui feret sceptrum. Et archiepiscopus, qui missam cantabit, post eos ibit. Et cum venerint ante regem, dicat archiepiscopus: Kyrie leyson. Christe leyson. Kyrie leyson. Pater noster. Et ne nos. Vers. Domine salvum fac regem. Et [exaudi]. [Vers.] Esto eidem. A facie. Vers. Domine exaudi. Et clamor^f. Dominus vobiscum. Oratio^g: Deus qui scis — valeat et prodesse. Per.

Postea accipiat coronam ambabus manibus suis et imponat capiti regis: Accipe coronam regni, que licet ab indignis, episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Deinde accedat episcopus cum sceptro et ponat in dextera regis dicens: Accipe virgam virtutis et equitatis, per quam intelligas mulcere pios, terrere reprobos. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Tercius accedat cum regno et ponat in sinistra regis dicens: Accipe regnum, intende, prospere procede et regna. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Resp. Amen.

Postea archiepiscopus accepta aqua benedicta aspergat regem et dicat^h alta voce: Procedamus in pace. Et cantor episcopii incipiatⁱ resp.: Ecce mitto angelum. Ante regem feratur sancta crux et ante eam due cruces, una a dextris et alia^k a sinistris et inter sanctam crucem et alias^k duas

a) Corr. aus 'mittantur' Hs. b) 'processio' Hs. c) 'ps' immer Hs.
 d) 'V' immer Hs. e) '74' immer Hs. f) 'cta' Hs. g) 'or. dom. vob.' Hs.
 h) 'diē' Hs. i) 'incip' Hs. k) 'al' Hs.